

De

J U S T I T I A.

Quam

Benedicente in secula Benedicto,
Impunitate & ventilandi licentia concessâ Venerandâ, Uni-
versitatis ad Auram Regiae, Facultate Philosophicâ.

SUB PRÆSIDIO

Nobilissimi atq; Consultissimi Domini.

DN. MICHAELIS Gyllenstalpes

Hæred. de Jakobila & Kerrenhem &c: J. U. & Phil: Docto-
 ris celeberrimi, prædictæ Amplissimæ Facultatis Philoso-
 phicæ Senioris meritissimi, II, ac totius Philosophicæ
 practicæ juxta ac Historiarum Professoris excel-
 lentissimi. Evergetæ, patroniatq; Fautoris sui
 religiose perpetim suscipiendi.

Pro summo in Philosophiâ gradu, ejusq; privilegijs ac immu-
nitate consequendis

Candidè Philosophantibus censemdam & discutiendam
 exhibet

ANDREAS ÆSCHILLI PETRÆUS

Horis solitis, in Auditorio Majori. Die 8. vñ Decemb: Anno 1655.

Poliphilus in hypnerotomachia figuris hieroglyphicis.
 JUSTITIA RECTA, AMICITIA & ODIÖ EVAGINATA. & PONDE-
 RATA LIBERALITAS, REGNUM FIRMITER SERVAT,

Phil: Camer: oper. subcisi: Cent. 1. cap. 76.

A B O Æ

Excusa â PETRO Hansen/ Acad, Typogr.

THEISIS PRIMA.

Nomina ut sunt signa formas rerum exprimentia, & juxta Arist: definitiones quædam absolutissimæ ac brevissimæ: ita Justitiæ nomen si perpendatur, non obscuram sui cognitionem parit: Dicitur enim tum à jure tanquam suo effecto; si realitatem species, in eo n. sistitur; vel à justo tanquam suâ causâ: Si nomen consideres: Ita scilicet Derivativum à Primitivo Nominaliter; hoc vicissim ab illo realiter descendit: vel per elegantem literarum methatesin; à vis-stitia, tanquam quod hujus ope omnis vis sistatur; vel deniq; dici justitia potest per separationem syllabæ primæ, jus quasi stantius.

2. Cum talia sint subiecta, qualia permittuntur esse à suis Prædicatis: idcirco justitiam, quæ analogicè & impropriè talis est, in limine eliminare consultum absq; dubio erit: Qualem brutis, ferisq; bestijs quidam assignarunt, ut Delphinis, Leonibus. &c: Nec si abusivè sumatur justitia, sz. qualis inter Latrones teste Cic: deprehenditur, propriæ considerationis est; Sed nec Synomica justitia hic attenditur, quâ scilicet justi dicuntur illi, qui defunctis justa persolvunt.

3. Illa ergò Justitia hujus erit loci, quæ non neglegat in Deum pietate, illam enim, juxta quorundam mentem, in latiori significatione involvit, in Communi hominum societate optato cernitur. Quare Philo: eam in bonis animi collocat, negatq; substantijs separatis eam competere, fortè contra Platonem, cum in ijs perturbatio non detur, ergo neq; virtus, quæ bonum animi: sed hominibus, non tamen omnibus, sed studiosis & paratis exercere operationes studiosas, talia competit

et justa

justa; Nam tales sunt medijs, inter substantias separatas quibus non humana bona competitunt: & inter iniquos & improbos homines. Don: Acciajolus.

4. Strictius justitia sumitur, pro virtute, quâ legibus & juri convenienter vivitur; tum quâ de bonis externis unicuiq; suum tribuitur: Sicut & injustus vocatur, tam qui legibus non obtemperat, quam qui in alterum iniquus est; plus sibi quam alteri tribuendo eum defraudans. Multum q; interest, prior an posteriori sensu justum aliquem appelles. Ita multum etiam (ut quidam volunt) refert utro sensu vocabulum justitiae capiatur. Quæ æquivocatio inventu difficultis vel inde est, quod magnam æquivocata cognitionem habeant,

5. In propriâ & strictâ significatione, ut dictum 3 & 4^{ta} thesibus, Justitia à varijs varie definitur. Pythagoras eam Mutuum pati esse dixit, unde ἀνθεπονθός alij Græcorū eam appellavere, alij ταυτοτάθεαν, aliás retaliatio vocatur, reciprocas enim taliones Cecilius apud Gellium nominat: vide Philip: Camer: Cent: operar: subcisisivrum cap 99. Simonidi, justitia est quæ cuiq; debitum reddit, τὰ δὲ φελόμενα ἐνάσω διδόναι. hoc referri potest Scaligeri. Ex: 17. si. &c; tum Ciceronis De inv: 82. a. & d. Fin. 140 & quam plurima similia: Sed Phythagoram, actutum Aristoteles, Simonidem, Plato & Socrates, cavitantur, & exagitant; ita nihil est quod dicendo depravari non possit.

6. Atq; propterea forte, non pauci Ethicorum, definitionem Justitiae à IC:to traditam, potius retinuere, quæ habetur l. 10. Digest: de just. & jure in principio. *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuj; tribuendi.* Quam quidam Aristotelicā explicatiōrem esse discunt. Thomas a. eam paulò meliorem, magisq; defini-

tum declarantem fore putat: Ita; justitia est habitus se-
cundum quem constanti & perpetuâ voluntate, jus suum
unicuiq; tribuitur. Quæ utut speciosæ fuerint, ægrè
tn: ad justitiam universalem accommodantur; Quanquam
qui id eonati sint, minimè defuerint.

7. Cum a. allatæ definitiones, aut universalem ex-
cludant, vel utramq; quædam; Illa quærenda erat,
quæ tam vñiversalem quam Particularē complectere-
tur: Qualis est non adeò discrepans à Philosophi definitio-
ne lib. 5. c. 1. t. 1. (ubi dicit justitiam esse habitum, quo justa
volumus & facimus. Cap. 5. t. 60. quâ justus dicitur aptus
ad agendum ex proairesi, illud quod justum est) nisi quod
magis perspicua sit. Justitia est promptitudo justè vi-
vendi, suum cuiq; tribuendo. Nob. DD Præses.

8. Expositis ita definitionibus, jam quomodo distri-
bui consuevit, instituti ratio, breviter ut innuatur, postu-
lat, Cicero de Fin: 140. b. justitiam ita secat. In com-
muni a. quæ posita pars est, justitia dicitur, eaq; erga
Deos Religio, erga parentes Pietas, vulgo autem boni-
tas, creditis in rebus fides, in moderatione animadver-
tendi lenitas, amicitia in benevolentia nominatur. Plato
duplicem videtur fecisse justitiam, unam absolutam, (ut
notavit Ehemius l. 5. de princ: juris c. 3.) illamq; omnium
animæ virtutum comprehensionem, totiusq; animi re-
sistitudinem esse dicit: Alteram relatam seu politicam, 'eò
quod sit vinculum societatis hominum & partium Reip:
Quibus missis justitiam cum Arist: in universalem & par-
ticularem disperiendam esse existimo.

9. Universalem, quidam Ethicorum, adeò à con-
deratione ejiciunt, ut sufficere arbitrati sint, eam tantum
nominasse: vel propterea, quod nihil aliud ea sit, quam
omnium virtutum morasum congeries vel complexus:

Quo

Quo sensu cum virtute morali retrocommeat; unde di-
ctum & tritum. Justitia in sece virtutes continet omnes.
Ita Fortis, reip. & concivibus defensionem, hostibus
verbera tribuendo; Temperans moderato cibo & potu
utendo, justitiam universalem colunt, ut & qui liberalis,
qui Modestus est, & sic consequentur. Inde vir bonus,
id est, præditus justitiâ universalî seu omnibus vitutibus
dicitur, de quo Senec: l. 5. Ep: 42. si sciret quòd esset vir
bonus, non dum se esse crederet, fortasse etiam fieri pos-
se desperar et:

10. Verùm quamvis verum sit, quod justitia univer-
salis nihil aliud sit, quām reliquarum moralium virtutum
complexus, vix tñ: consultum erit, adeò illam pro-
scribere, ut extra pomœria sui tractatus ablegetur, cum
eo ipso ansa quæpiam remaneat dubitandi vel potius i-
gnorandi, an & quale discrimen sit inter justitiam uni-
versalem & reliquas virtutes. Quod Aristot: ita expri-
mit, justitiæ universalis est omnia virtutum officia face-
re, sed tum dicitur justitia, cum refertur ad alios: Hinc
infert Mel: justitiam univ: esse obedientiam erga leges,
sic approbando definitionem, ut statuat aptiorem ne con-
cipi quidem posse. Confer Regulas vitæ DD. Chyträj.
de virtut: 4 præcepti. Pontanum de obedientiâ. &c: Hinc
Plato inquit, longè optimum Reip: civem esse, qui glo-
riosius sibi ducat cæteros cives obedientiâ erga leges &
Magistratus vincere, quām olympico vel quovis certa-
mine alio, adversarium superare.

ii. Ulterius Stagirites discrimen just: Univ: in Calce
superioris membra ita declarat: Quid a. intersit inter
hanc justitiam & virtutem, manifestum est ex his quæ di-
ximus: quatenus n:spectat alium, justitia dicitur, quatenus
habitus in nobis est, virtus vocatur. Unde etiam radiat
qualis

qualis distributio virtutis hæc sit: Cum in, justitiam & cæteras virtutes illa dispescitur: scilicet quod potius hæc homonymia explicatio sit, quam generis in species divisione: Videatur Colleg. Eth: Nob: DD Praes: Disp. 4, thes: 23.

12. Objectum justit: Univ: sunt omnium & singulorum virtutum praæcepta; Et, si obedientia est erga leges, honestas tamen, ut promoteatur publica utilitas, societasq: inter mortales politica conservetur, erunt etiam omnes ad publicam honestatem & tranquillitatem latæ justitiæ univ: Objectum D Mel: DD, Chytræus.

13. Nobilissimum nonnè hoc objectum est? quare non sine gravi causâ Philosoph, illam præstantissimam virtutum esse adstruit; adeò ut nec Hesperus nec Lucifer eā admirabilior existat; quia illà non tantum quis sibi bene vivit & erga se ipsum utitur, sed maximè propterea, quod erga alios exerceatur: spectat n, ad alia, ac agit & gerit illa, quæ alijs prosunt, quamobrem hanc Dominam & Reginam virtutum salutavit Cic. de N. 16. imo Excellentissimam virtutum clamitat de Orat: 140, 6.

14. Et amplius Aristot: à contrario quod conspectus est, ita infert: ut deterrimus est is, qui erga sese, & propinquos injustus est, Ita è contra optimus est, qui non erga se tantum, sed etiam erga alios virtutem exercet: hoc enim Difficile est: hæc igitur justitia non est pars virtutis, sed universa virtus.

15. In Magistratu a, hæc virtus tam rara, quam præclara maximè cernitur; quare præclarè dictum est à Biante: Arist: ejus verba suis intermissione comprobant. Scilicet ἀρχὴ τὸν ἀνδρα δεῖξαι, id est, Principatus, vel Magistratus ostendet virum: Is n. in communis societate omnino versatur & erga alios officium gerit, Philosophus.

16. Nihilq; mirum est, ut refert Arist: quosdam dum sibi vivunt virtuosos videri, qui in communis lucem expositi, nihil virtutum possidere deprehenduntur: cum ibi & perfectior requiratur virtus, & facilius animadveratur, ubi plures exorbitandi occasiones sunt; ita equidem qui privatus, nihil injuste, avarè nihil egerat, hic Reip. admotus, unjustus fit, avarus evadit; major n: tum quam antea occasio; non absimiles serpenti pestiferæ, quæ dum frigore riget tutò tractari potest, non quod venena desint, sed quod torpēnt. Senec. l. 5. Ep. 42.

17. Tantam a. virtutem vix aliquis obtinebit, nisi veræ pietatis indefessus cultor fuerit: Quem n: mortali-um, in corruptâ hâc naturæ labo & tabe, non movent, saepiusq; permovent, ac instar Arietum, muros vel firmissimos evertentium anxiè & ultra quam hostiliter impugnant. AMICITIA & ODIU M. Quorum motuum, quanta vis si nunquam verbis satis exprimi datur: Ita prohdclor, omnem industriam, novercantis fortunæ impetus superat.

18. Ipsa itaq; justitia, quæ est Deus vivus, ardenter precibus invocandus est, ut suâ gratiâ adesse, totumq; actum benignè dirigere dignetur: quod & in Vener: Consistorio Ecclesiastico receptum: recitatatur enim quotiescumq; aliquid ardui peragendum est, Admonitio Josaphati adjudices, Sic: Videte quid sitis facturi, non n: pro homine judicaturi estis, sed pro JEHOVA, qui vobis cum futurus est in rebus judiciarijs, quare insit timor JEHOVÆ vobis; Observate & facite, &c.

19. Thebani viri prudentissimi, exprimere volentes exemplar quoddam summæ potestatis, atq; boni senatus: Finixerunt simulacra, ante Deorum altaria sedentia, omnia manibus truncatis, præter supremum manus qui-

dem habens, sed obcoecatum, patulisq: & erectis maxi-
mè auribus: Quod docti viri ita exponunt.

20. Sedent quippe vel ideò, quia judices graves, quietos,
& constantes esse oportet, nec facile commoveri, ut ha-
betur apud IC: ^{cos} & passim in S. Codice. Carent a. mani-
bus, ne vz jus dicentes, vel senatores munera accipient, ne
donis aut promissis corrumpi se patientur, quod & LL^{bus}
& poenis hodie prohibetur: Legibus etiam Patriæ. Stads.
lagen. R: B: cap. 5. &c. Quod v. horum Princeps coœcus
sit, satisq: auritus, significat illum auribus tanquam
absq: omni affectu, constanter ac justè senatus decreta
peragere debere. Andreas Alciatus.

21. Ut itaq: Senatoribus tantò magis curæ cordiq: sit
proprium eorum mun⁹, judices jure jurando adstringun-
tur, prout sancitum est, in Authentica. jus jur: & L L,
patriæ nostræ: imo ipsa S. R M: justitiam se fovere, co-
lere, urgere, & tutari, sanctè promittit juratq: idq: in ce-
leberrimâ omnium Regni ordinum præsentia, quæ ad
comitia confluxit, vide R: B. Landzlagen. cap. 4 § 2, Cu-
jus rei per quam memorabile exemplum exhibuit, S. R.
M:^{tas} Rex C A R O L U S G U S T A V U S, Dei gratiâ, Imperator
Svecicus atq: Monarcha invictissimus, subditis suis Rex
clementissimus juxta ac justissimus, cum velut εμψυχον
διεσευν, fasces imperij Sveo - Gothici capesseret, singula-
ri quodam Zelo, seriis suspiriis, voce, incredibilem in
modum subditos reficiente, articulum hunc de justitia
colendâ expressi.

22. Justitiæ jam partim assignatae sunt suæ causæ, ut
præter Deum efficiens & Conservans thesi. 17. Materia,
non quidem ex quâ, sed circa quam ut thesi 12. In quâ n.
voluntas subintelligitur; in quam etiam sententiam
Philosophi omnes consentiunt, etiamsi quidam, ut
cætera-

ceterarum virtutum, appetitum sensitivum, ita justitiae voluntatem, subiectum internum esse statuunt.

23. Formam in ipsa definitione thesi. 7. vocula JUSTE, exprimit. Finis qui s̄apē quamvis cum Formā cojncidat, ita hic s̄z Finis est Justitiæ proximus, JUSTE vivere. Finis itaq; non privatus tantūm, sed publicus; nec proprium possidentis solūm sed commune bonum, docetque leges 1. bonas sancire, 2. sanctitas definire, 3. definitas exercere. Hinc non immitteritō justitia, turris vocatur firmissima, cuius tres anguli sunt: ut Honestè vivere, neminem ledere, jus suum unicuique tribuere. Picc. Grad: 4 c. 47. hæcceq; latera omnes omnium virtutum moralium actiones includunt. Videlius.

24. Extrema Justitiæ duo non quoad nomen, quo ad rem tamen, dari manifestum est; quamvis illa vitiositas duplii nomine, quo ea partim in excessu, partim in defectu consistens exprimatur, non gaudeat: utraq; n: termino injustitiæ involvitur; idq; sine dubio propterea, quia uno actu injustitiæ, tam excessus, quam defec-
tus committuntur.

25. Quoad rem tn: duplex est / quemadmodum re- liquarum virtutum moralium, duo distincta sunt oppo- sita, vitia)extremum justitiæ; alias n:in mediocritate hæc virtus non consisteret, & per consequens ē censu virtutum moralium eliminanda foret.

26. Et Universali justitiæ quidem, universalis injus- titia opponitur, quæ omnium ad honestatem latarum legum transgressio est. Hinc ab Aristotele reliquisq; Græcis universaliter injustus qui est, *ωραίος* appellatur

latur, ipsumq; vitium ~~waſeropia~~, sic: si justitia, erga leges obedientia est, scilicet universalis illa, ejus oppositum earundem erit transgressio: & sic nihil aliud est, quam integrum vitium.

27. Tantumq; de justitia in genere & de universalis illâ: Jam agendum de particulari. Quæ communiter definitur, quod sit virtus partim in commutando, partim in distribuendo æqualitatem servans, vel forte aptius & explicatiùs sic: Particularis justitia est virtus moralis, quâ suum cuiq; de bonis externis tribuitur, vel communibus ad merita tñ: habito respectu, vel particularibus & singulorum, sine personarum intuitu. Nob. DD Præf. Coll. Eth. Disp: 4. thesi 24.

28. Objectum in datâ definitione Nob. D. Præsidis perspicuis verbis exprimitur, sz. bona externa. confer. Mel in explic; cap. 2. lib. 5. Arist. eth: quod Arist: textui non contrariatur, lucrum objectum esse statuentis, hoc n: absq; dubio erit bonum externum. Est v. hoc conspectius vocabulum, quam lucrum, quia illud æqualiter speciesibus justitiae particularis tribuitur, hoc non item.

29. Cumq; hoc objectum, bonum sz. externum duplex sit, commune vel particulare, ut ex definitione constat: sic particularis justitia etiam duplex erit: Distributiva quæ de communi distribuit; Commutativa quæ de particulari suum cuiq; tribuit.

30. Hasce justitiae particularis species alijs nominibus Hugo Grotius de jure belli & pacis lib. I. c. I. t: 8. insignit vocat n: Distributivam attributricem, quæ Aristoteli *διανεμτική*, Commutativam v. expletricem quæ Aristot: *ἐπανεργθωτική*, negat a. hanc versari circa particularia vel res singulorum, illam circa res Communes; Quo jure dicent alij.

31. Nec defuere qui distributivam solum ad Magistratus pertinere, ita ut ne usui quidem privatis sit, afferuerint. Commutativam vero, neque in judiciis, neque in poenis, neque in praemijs consuli, sed tantum privatorum esse in contractibus constituedis; cum tamen aliter sentiendum sit.

32. Hosce a. somniare dicit, forte non sine causa Mel: ita differens: Judex cum non comparat inter se gradus injuriarum, sed tantum aequaliter damnum, & quomodo datum sarcinatur, consulit justitiam commutativam, sicut homo privatus in venditione, mercem aequaliter, & pretium pro mercede flagitat. Tunc a. Magistratus distributivam consulit, cum multiplices injurias aut merita inter se comparat, & gradus constituit meritorum, ad quos postea, gradus praeiorum & paenarum accommodat.

33. Verum ad quamnam speciem Particularis justitiae, paenarum in inflictio spectet, non facile judicare est: Pugnantibus, hanc de quaestione quam acerrimè, magna authoratis authoribus, unde quaestentia debuit esse firma & invariabilis, nunc vacillans adeò dubium est, quod non minus mea definitionib[us] Particularis justitiae specieru[m] absteruerit, quam Echeneis, parvus quidem pisciculus, vastissimam navim, vel in concitatissimo mari, erectis omnibus ventorum apparatus, cursu, retardare dicitur, vide Emb[odimentum] Andreæ Alciati:

34. Ardua sane haec quaestio est, & in universa Ethica, nihil eadem magis controversum: censent alij, paenas irrogandas esse secundum proportionem Geometricam in qua personam respectus adhibendus: Alij Arithmeticam, ubi nullus personarum respectus attenditur: Alij Harmonicam: Quos totam justitiae normam certitudinem subvertere, & ubi ad caput rei ventum est, omnia

judicis aut Majestatis arbitrio relinquere, dicit Arnisæus
de proportione Arithmeticâ observanda.

35. Atq; propterea sine dubio pleriq: Ethicorum, hu-
jus rei perexiguam mentionem faciunt; Nonnulli ne
Gry quidem, ut sonat adagium: Qui a. hanc item com-
ponendam sibi proposuerunt, ab unâ parte stant fixi;
Quidam declarationem promittentes, vel, potius decisi-
onem allegatis pro & contrâ rationibus, rem in eodem
bivio, ubi prius latuit, relinquunt ut Gutkius Disp: Eth:
12. Quæst: 1.

36. In hâc acerrima inter viros undiquaq; doctissi-
mos pugnâ, à ejus partibus mihi standum totus hæreo;
adeò hanc aciem deserere, quâm ad latus alterutrius eo-
rum me adjungere maluerim; Sed cum in hâc quæstio-
ne: Cardo inter Distributivam & commutativam verta-
tur, aliud mihi persuasum non habeo, quin poenæ ad u-
tramq;, suo modo pertineant, diverso tamen adhibito
respectu, quem exponit Melan: thesi 32.

37. Re a. altius pensitatâ, accuratiùs loqui videntur,
qui in poenarum inflictione, negant personarum haben-
dum esse respectum; sed tantum delicti, cui adæquanda
poena; Quod si sic, juxta Aritmeticam proportionem, vel
justitiam commutativam poenas irrogandas esse, omni-
nò verum dicunt; tunc n: delictum, pensitatis in eo o-
mnibus circumstantijs, se habet, ut merces, sive species
contractus, ut scilicet tantum luat, quantum peccavit.

38. Cum a. tam Distributivæ, quâm Commutativæ
medium quodammodo in proportionibus; ut ex dictis
innovit, consistat, declarandum quid & quotuplex ea sit:
Est a. Proportio nihil aliud, quâm ratio vel habitus di-
versarum quantitatum ad invicem: Gemma Frisius. Est
que vel Arithmeticæ, quæ est æqualitas differentiarum. P.

Ramus

Ramus, quando nempe æqualis differentia, numeri inter se distant; sive continuæ; ut 2: 4: 6: 8: ubiq; est binarius differentia: & hæc progressio dici solet: sive disiunctæ, ut 3: 6: ita 8 & 11. utrobiq; differentia est æqualis, s; tenuarius, Buscherus lib. 2: Arith: c. I. Vel Geometrica quæ est æqualitas rationum; quando nempe plurium terminorum inter se comparatorum eadem est ratio. Estq; etiam disiunctæ vel continua. Illa est, cujus termini eadem ratione non cohærent, sed secundus & tertius sunt diversi, ita ut quemadmodum primus est ad secundum, ita secundus non est ad tertium. Hæc quæ rationibus continua ita cohæret, ut quæ ratio primi est ad secundum, eadem quoq; sit secundi ad tertium, atq; ita consequenter.

39. His ita præmissis, inquirenda definitio nunc quidem Distributivæ, quod adeò facile factu, non est, propter divortium sententiarum in assignando Objecti discrimine, ut ex discursu qualicunq; de poenarum inflictione suo modo expositum, patere arbitror, in quibus tñ: speciebus justitiæ particularis, totum jus hominum contineri asserit. Mel.

40. Distributiva à distribuendo sic dicta, quod poenas & præmia, omniaq; officia, cum comparatione quadam graduum distribuit, gradus ipsarum rerum constituit ex ipsarum rerum circumstantijs, id quoniam magis fit in distributione præmiorum &c. hæc species videtur magis politica & gubernatrix esse, quamvis utrāq; & publicè & privatim utendum, de qua re, supra. thesi. 31.

41. Ex allatis liquidò constat, justitiam Distributivam esse virtutem moralem quâ in distributione honoris, præmiorum &c: æqualitas secundum proportionem Geometricam (vel forte æquitas) observatur: vel est justitia particularis præmia & poenas justo modo distribuens. Bartholin.

42. Objectum hujus partim in definitione exprimitur, partim ab Aristotele explicatur l. 5. C. 2. t. 19. verum hæc quidem circa honorem versatur, vel pecunias. Ne a. Philosophus hoc objectum videatur etiam fecisse commutativæ, quod primo intuitu facile judicari potest, instituit repetitionem quandam in cap. 43 textu 34. Justum n: Distributivum eorum quæ communia sunt, in dictâ semper proportione rationum consistit. Nam si ē pecunijs distributio fiat &c; Itaq; pecuniæ & honores sunt Objectum hujus, quod uno vocabulo Ethici complexi sunt, scilicet præmij nomine.

43. Atq; hinc fortassis, & ex hâc jam allegatâ Arist: sententia de Objecto Distributivæ, maxima pars Ethico-rum, illiq; perplurimi, cum Conimbricensib, illationem fecere, poenas etjam irrogadas ad amissim & normâ justitiae distributivæ, sz. ita; si præmium, quod omnes ferè concedunt ex Aristotele, Objectum est justitiae distributivæ, erunt & poenæ; Cum contrariorum eadem sit scientia.

44. Propter duplex hoc jam assignatum juxta Communem sententiam Distributivæ Objectum sz. præmiū & poenam, Distributiva duplex facta est; Remunerativa & Punitiva. Conimb. Disp. 9 Eth. q. 1, art. 2. Remunerativa Circa moderamen præmiorum versatur, ut hujus beneficio virtus compensetur, illamq; studiosè exercens, ut tanto alacrius eam colat; verum n: est illud Poëtæ, *Egregios invitant præmia mores*, Et alterum fulcrum totius humanæ societatis quidam Præmium dixit. Est itaq; Remunerativa, Justitia præclarè agentibus præmia ex æquo distribuens'.

45. Quantum igitur fieri potest, æquitas sive *ratio* ut Arist: loquitur, in præmiorum oblatione observanda, ne meritò multi eandem cantilenam, cum Philosopho Thebae

Thebanō ingeminent; Is enim suo seculo conquestus
commune vitium, sive de obcaecato fortunæ regimine,
quod plus coquo quām medico, adulatori quām Philoso-
pho; coquo decem minæ, medico drachma, Adulatori
centum talenta, Philosopho triobulus, Consiliario fu-
mus, id est, nihil conferreretur.

46. Itaq: si Justitia mansura sit in suo vigore & viro-
re, necessum est ut perpendantur merita, habito respectu
Circumstantiarum; Ita ut quo exelleutior virtus, tantò
præclarius sit præmium; Excellentia autem illa virtutis
in hisce 4. potissimum consistit. α. Si in suo subiecto fir-
mata, multisq; actionibus comprobata fuerit. β. Si mul-
tum Commodi Reip: adferat. γ. Si virtutis illius actio
difficilis fuerit & periculosa. δ. Si etiam virtus hæredi-
taria, atq; etiam per parentes quasi propagata, tunc enim
non propria tantum virtus, sed & majorum nobilitas,
majus quoq; præmium requirere videtur. Hier: Præt:
in Theat. Eth:

47. Ut Remunerativa sive gratitudo, præmiis vir-
tuosos ornat, ita Punitoria, vitiosos punit. Est itaq; vir-
tus in pœnis infligendis æquitatem servans: Delicta n;
ut puniantur, tam est necessum, quām ut virtuosi præmijs
afficiantur, adeoq; qui in vitiosos non animadvertis, di-
citur Bonis nocere, sc. quia malis parcit, Alst: Eth. c. 20.
Quia ut Seneca ait: Vitia transmittit ad posteros, qui præ-
sentibus culpis ignoscit.

48. Hinc queri solet, anne summum jus, summa in-
juria? Tritum sanè proverbium, magis quām veritate
munitum veri verbum: Impossibile enim est, hoc ali-
quid, eo ipso quo tale est, sc. justum, id eodem modo, &
quo tale, posse esse injustum; Contrariorum enim con-
traria est consequentia; Cæterū ex Juris definitione

constat, jus non posse injuriam appellari, cum sit ars æqui & boni, ergo nullatenus mali & iniqui; Addi potest etiam argumentum à Conjugatis ductum, si justus non facit injuriam, ergo neq; jus faciet; Quod enim uni conjugatorum inest, id omnibus inest.

49. In hujus locum aliquid esse reponendum, inventata hujus dicterij consuetudo mandat: Summum n: jus, summam esse injuriā Cicero suo tempore conquestus est, nec absq; ratione: Dicit enim Arist: jus se habere ad actiones ut se habet universale ad singulare. l. 5.c. 7. tex:

79. Actiones enim sunt innumerabiles, lex autem cuiusq; generis una est; est enim universalis: hæc ille. Cum idcirco leges ait esse universales, docet eas de singulis causis ferri non posse, sed genus in lege ponit, ad quod facta similia referenda sunt. Melanc;

150. Pro decisione hujus dubitationis, notant Ethici, jus summum dici tripliciter. 1. Ratione Constitutionis, quando perfectissimo modo constitutum est, quod fit, cum congruit cum lege Divinâ & humanâ, omnes etenim leges civiles, in jure divino & naturali fundamentum habebunt; Si secus, ut falsæ, rejiciendæ. 2. Ratione exsecutionis quæ tum in malam partem sumitur, cum legislator, magis ad tenorem verborum legis, quam ad circumstantiam sensus æquantis attendit, quo sensu etiā verum esse potest: Summum jus, summa injuria: Quod non, si in bonam partem, summum jus, sive *æn. Bodinæ* sumitur, tum enim est virtus crudelitati opposita, observans jus scriptum in eo casu, de quo lex principaliter loquitur. E. g: poena furti, juxta legem, de furto petulantè facto.

51. Hisce duabus summi juris acceptionibus, tertia additur, quæ est Interpretationis, cum judex legem inter-

pre-

pretatur de iis circumstantiis, de quibus aut lata est, aut ad quas accommodari debet: Tum enim justitiae regula est & manet, secus autem, si securifiat: non enim ex verbo jus pendet, sed verba inserviunt hominum consiliis & authoritatibus. Nec enim verba veniunt in judicium, sed ea res cuius causa verba in leges conjecta sunt, ut Cic: pro Cæcina. Hinc Diocletianus imperator, justitiam sine misericordiâ, crucem appellabat: verè n. furentis & humanum sanguinem anhelantis est, præcipitem in supplicia ferri.

52. Ex dictis facilè radiat, æquitatem etiam in jure locum habere, alias enim esset injuria, quæ nunquam apparebit, cum adhibetur *æquitas* sive æquitas. Leges enim norunt optimè sibi aliquid deesse. Arist: l. 5. Eth. c. 10. Et tamen lex recta, & justa est. Et postea; hæc est natura æquitatis; Emendatio legis, quatenus aliquid omisit: propterea quod universaliter loquatur: Hæc enim est causa quare non semper juxta leges pronunciatur; Quia non possunt de singulis casibus leges ferri.

53. Quod autem quidam contendunt, æquitatem cum jure pugnare, illudq; tollere vix firmum est; non enim sunt jus & æquum, opposita; sed hoc ejus tantum mitigatio: non enim simpliciter idem significant, neq; enim genere diversa sunt. Arist: c: 10. Atque, quemadmodum Herculis clava, quamvis oleo fuerit madida, (ut ingeniosè Poëtæ finxerunt) clava erat; Ita justitia, quamvis oleo Misericordiæ leniatur, nihilominus justitia esse potest.

54. Tota autem juris mitigatio, quacunq; fiat ratio-ne, tota inquam in Prudentiâ judicis, qui viva justitia. Arist. c. 4, consistit; unde etiam inferri videtur dubium:

An judex debeat esse προσωπολήγματος, sive habere respectum personarum? Quod affirmare S. Sacra videtur. Exod. 21. Ubi Deus mandat homicidam capitis damnari, quod non si Dominus servum. Tum quoque; jus civile, cum etiam leges Patriæ nostræ, quin & ipsa ratio quoque προσωποληγματος statuere, videntur.

55. Sed in contrarium depromi solent argumenta ex iisdem locis uti prius. Lev. 19. Deut. 16. &c: Admonitio Josaphati expressè prohibet respectum personarum adhibendum. Sacro codici incumbit jus canonicum, idem probat jus gentium. Gell. lib. 2. Noct: Attic: c. 24. ubi leges 12. Tabularum, Draconis, Solonis & similes eandem pœnam ex æquo omnibus irrogârunt, sine aliquo respectu personarum.

56. Pro declaratione hujus dubietatis, notari solet ambiguitas προσώπος καὶ προσωποληγματος. Significat enim persona 1. Conditionem ordinis divini vel humani, quo sensu non est illicita. 2. significat persona circumstantiam, factum vel aggravantem vel elevantem, cuius respectu æqualibus inæqualia & vice versa tribuntur. Quod neque; illegitimum. 3. Persona significat qualitatem extrinsecam, ad facti naturam nihil pertinentem, ut sunt, divitiae, paupertas. &c: Ob quas, ut ita loqui licet, qualitates, si respectus προσωποληγματος adhibetur, contra jus fasque; id fieri statuitur; Ut mihi tamen videtur: nisi fecerint ad facti vel delicti emphasis.

57. Extrema Distributivæ justitiae sunt: Socordia & Tyrannis. Illa est vitium quo in excessu præmia dantur, in defectu pœnae infliguntur. Sic Sylla nonnunquam sceleratos præmijs affectit; Lacedemonij præmium omnibus promiserunt quotquot artificiose res alienas surripiebant. Gell. lib: 11. Noct, Attic: c. 18. In pœnis Socor-

Socordia exercetur, cum nullo modo, aut minus quam
par est delictum punitur; tam enim crudelitas est omnibus
ignoscere, quam nulli. Sen:

58. Tyrannis est vitium in defectu, quatenus minus
præmii, magis poenæ tribuitur; scilicet nulla è*τιμη* & *αστικη* as
habitâ ratione, in puniendo rigorem summum sequitur;
qualis asperitas erat in Claudio Imperatore, qui in reum
tantâ iracundia exarsit, ut cultellum, quem manu tenebat
in os a degerit. Talis etiam erat Draconis in puniendo
asperitas, ut omnia delicta capitalibus suppliciis puniret:
Ideo Demades dixit, Draconis leges non atramento, sed
sanguine scriptas esse, ideoq; Herodicus ut scribit Arist:
in Rhet: Leges ejus non hominis sed Draconis esse, ideo-
que funebres. Phil: Came. Op: sub:Cent. i. c. 99.

59. Sequitur altera species Justitiae Particularis, Cō-
mutativa scilz. justitia quæ sine ullo personarum propriâ
loquendo respectu, æqualitatem mercis & pretii, delicti
& poenæ exigit. Nob. D. Præses. Communiter defini-
tur, quod sit virtus in contractibus & rerum permutatio-
ne, nullo habito respectu personarum, æqualitatem se-
cundum proportionem Arithmeticam, observans.

60. Objectum hujus, ut ex definitione patet, sunt
merces & pretium, delictum & poena, vel uno nomine
Contractus, de quibus ut & rerum permutatione in Scho-
la Ictorum docetur. Græcè dicitur *συναλλαγή*: Sed
ut Hugoni videtur, nimis arcto vocabulo; Namut pol-
fessor meæ rei, inquit, eam mihi reddat, non est ἐν συν-
αλλαγῇ, & tamen ad eandem hanc justitiam per-
tinet: Itaq; ἐπανορθωτικὴ idem sz. Arist: felicius dixit,
quæ rerum commutationem ita corrigit, ut neutri parti
injuria inferatur.

61. Indigentia autem cogit homines inter se contrabe-

ijs quibus abundant; illa etiam exæquat res nullo modo pares; Sic qui abundat auro, si careat frumento, in fame frumentum tanti æstimat, quanti aurum..

62. Ut itaq; commercia fiant, necessarium est ut rerum fiat æstimationis, quæ fieri nequit, nisi res aliquo modo redigantur ad æqualitatem: Oportet itaq; esse aliquid quod omnes res metiatur, & ad æqualitatem redigat; idq; est *nummus* qui cuncta metitur. Arist: Et est ex pacto, ut sit vice ejus quo alij indigent, est itaq; in hominis arbitrio, non à naturâ, æstimationem nummi mutare, vel prorsus abrogare.

63. Atq; hæc est causa inventi aummi, non enim singuli habemus omnia, quibus quilibet indiget, seu ut ICt⁹ inquit leg. 1. ss: de contrahendâ emptione, Quia non semper nec facile concurrebat ut cum tu haberes quod ego desiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia est, cuius publica & perpetua æstimationis difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret, &c.

64. Excessus justitiæ Commutativæ est nimium lucrum quod est ablatio plurium, ita ut altera pars damno afficiatur, vel quod idem est: cum iniquum pretium rebus imponitur; Ut fecit Prænestinus quidam, qui urgen- te fame, murem captum, trecentis potius denariis vendiderat, quam ut ipse leniendæ famis gratiâ consumeret.

Defectus est damnum, quando quis incommodo afficitur, minusq; quam debetur accipit.

FINIS.

Atq; utinam Avaritiae, Injustitiae, adeo omnium
vitiorum!

ODE Parænetica ex Psalmo David: ii.

ad Filium suum dilectum

ANDREAM PETRÆUM, de Justitiâ disputantem.

Fælicem Divus, celebrat Psalmista timentem.

Quis Deum, toto pectore, promptus amat,

Sortem Egenorum miserantem, tristia fata,

Hos properè auxilio, consilioq; juvat.

Tertia laus ejus, mens est, cui nulla nocendi,

Lædendi innocuos, rectaq; cuncta probans

Difficile hoc studium juris, cum munera carpit,

Dum timet excelsos, Dum sibi cara videt.

Raptum quodq; placet, quodcunq; aliter male partum;

Scilicet en quovis, dum est odor ille bonus.

Temne lucrum Fili, semperq; resistit sinistris

Sordibus, E Fugito, Crimen Avaritiae

Ex animo venerare Deum, succurre misellis,

Justitiam colito, quæ cynosura tibi.

Hæc ut serventur tria, poscit æq; tibi nomen

Ut tandem faustè, nomen in omen eat.

Restantem vitæ, cursum, qui culmina cœli

Inhabitat, terris qui quoq; adesse potest,

Dirigat, inq; suam faciat bene vergere laudem,

Conatus pulchros, coptaq; cuncta beet:

Ita senectutis fulcro mihi, sic tibi Honori

Vixeris bis felix, atq; beatus eris.

ÆSCHILLUS PETRÆUS D.

Episc: Ab:

Nata-

Natalibus, Virtute atq; eruditione politissimo ac Praestans.
tissimo Iuveni

Dño. ANDREÆ ÆSCHILLI PETRÆO, Ve-
nerandi Consistorij Ecclesiastici Aboënsis Secretario
expeditissimo; Sanioris Philosophiæ Candidato
dignissimo; Affini & amico suo suavissimo, Pro Magisterii gradu, De
Justitiâ, doctè disputanti; ita l.mq; applausit

Discere justitiam ingeniosi Musa Maronis
Principit: Haud virtus clarior ulla datur.

Ergò dum multi speculantur inania sape,
Sublimem ut monstrent se meruisse gradum;

Celsa hec Virtutum meritò Regina placebat,
In quâ fœcundum splendeat ingenium.

Macte animo magni Tu spes permagna parentis

ANDRÆ A. Affinis Chare PETRÆE mihi;
Perge ita IUSTITIAM colere, & Seçtarier artes

Ingenias; Meritus quò sit honoris apex!

MICHAEL Gyllenstålpe &c.

██

ANDREAS ÆSCHILLIPETRÆUS, CANDIDATUS,
VENERANDI CONSISTORII SECRETARIUS.

Per Araygæmu.

JUSTITIAE CULTOR, CLARUS VIR ES. INDICAT ANNE?

ARRIDES RE: DAS ANNIS Hæc: SÆPEDOCESque.

Doctissimo Viro-Inveni, DN. ANDREÆ PETRÆO.
Phil. Cand. meritissimo; Ven. Consistorij Eccl.
Secretario Solertissimo, pro summo in Philosophiæ
gradu de justitiâ egregiè disputanti, Fauto-
ri & Amico suo plur. colendo, hoc anagrammate
occupatissimâ quidem manu, Syncero in. corde
gratulatur Ericus LucANDer,